

aliquo in alienis salinis, donec laborabunt in ipsis salinis communis, sub pena libr. vigintiquinque par. pro qualibet persona contrafatiente, et nichilominus satisfatiendi comuni totum dampnum et interesse, quod comune Tergesti ob id sustineret et occasione dictarum salinarum non laboratarum. ¶ Et laborantes habere debeant medietatem tocuis salis orti in ipsis salinis anno quo laborabunt, et alia medietas remaneat comuni Tergesti, qui laborantes dare et solvere debeant daciario becharie de sale eis accesso in partem sold. quatuor par. pro quolibet modio. ¶ Et laborantes habere debeant a comuni omnes ordegnos et preparamenta necessaria pro laborando ipsas salinas, et etiam sint libere absoluti a wardis et supravardis tam diei quam noctis civitatis Tergesti, donec lavoraverint in ipsis salinis, et ipsi salinarii nec aliquis de eorum familia dare non debeant aliquam quantitatem salis alicui orti in salinis predictis, donec facta non fuerit divisio dicti salis inter ipsos et comune Tergesti, sub pena centum sold. par. pro quolibet contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Et procurator comunis facere teneatur inventarium de omnibus ordegnis preparamentis sive massariciis ipsarum salinarum comunis, tempore quo tales salinarii dictas res recipiunt a comuni, sub pena libr. decem par. pro quolibet procuratore contrafatiente et qualibet vice contrafacta.

Cap. XV. Rubrica de vendicione possessionum comunis. Et de rebus comunis non alienandis vel concedendis. //

Ordinamus quod quelibet proprietas sive possessio comunis vendi locari sive alienari debeat ad incantum super scalis palatii comunis tantum tempore debito, et talis possessio una vel plures incantari et cridari debeat ad incantum super dictis scalis pallacii per preconem comunis duobus diebus ante locationem sive alienationem ipsarum possessionum, et tertia die sequenti ante occasum solis dari et deliverari plus offerenti. ¶ Et quod nullus officialis qui esset in aliquo officio comunis tempore locationis sive alienationis et deliverationis